DE LXV ANNIS,
IN QVIBVS
EPHRAIM FRANGETVR,
VT
POPVLVS ESSE DESINAT.
Jes. VII, 8.

SVB AVSPICIIS DIVINIS,
RECTORE
VNIVERSITATIS EBERHARDINO-CAROLINAE
MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO ATQVE POTENTISSIMO DVCE AC DOMINO,
DOMINO
CAROLO,
DVCE WIRTEMBERGIÆ ET TECCIÆ REGNANTE REL.
PRÆSIDE
LVDOVICO JOSEPHO VHLAND,
PROF. HISTOR. PVBL. ORD. ET STIP. DVC. THEOL. EPHORO,
PRO RITE OBTINENDO MAGISTERII PHILOSOPHICI GRADV
Diebus Septembris MDCCLXXIV,
PVBLICE DISPVTABVNT
GEBHARDVS VLRICVS BRASTBERGER, Guſſenſtadienſis.
JOH. CHRISTIANVS MAIER, Stammheimenſis.
JOH. CONRADVS WAGENMANN, Stuttgardianus.
JOH. DAVIDES KRAIS, Marco-Grüningenſis.
SERENISSIMI STIPENDIARII ET MAGISTERII PHILOSOPHICI CANDIDATI.

TVBINGÆ,
LITTERIS JOH. AD. SIGMVNDI.

Q. D. B. V.

§. 1.

Inſignis eſt Jeſaiæ prædictio, Cap. VII, 8. *fore, ut in annis adhuc LXV Ephraim populus eſſe deſinat.* Conciliatio vero vaticinii cum *eventu*, qui annis definitis reſpondeat, multum fatigavit Interpretes æque ac Hiſtoricos, quorum *alii* complementum in *expugnatione Samariæ, & deſtructione regni Iſraelitici*, quæ anno jam a prædictione Eſaiæ XXI contigit; *alii* in *introductis* ab *Aſdrhaddone* in *Samariam colonis idololatricis* quærunt, a quo tempore *Samaritanorum origo* repetenda ſit, *Iſraelitæ* vero *pro populo ab aliis gentibus diſcreto amplius habiti non ſint.*

Quibus *prior* ſententia placet, ii e difficultatibus, quibus premuntur, quocunque id fieri modo poteſt, ſeſe expediunt. Sunt, qui *initium* Epochæ *retro* trahunt, ad id tempus, quo *Amoſus* contra Iſraelitas vaticinari cœperit, ut anni 65 ad expugnatam Samariam expleantur; ſunt, qui *a prædictione Jeſaiæ* annos 65 quidem incipiunt, ſed eos *vel laxe ſumendos*, quaſi Propheta dicat, *aliquo* tempore intra 65 annos, *vel* ob graviora Ephraimi peccata a *Deo decurtatos*, *vel* denique lapſu librarii *erroneos* eſſe ſtatuunt, &, niſi locus pro deſperato habendus ſit, manu

critica emendandos; quæ ipsa hypothesium varietas & ex parte temeritas hanc sententiam minus commendabilem reddit.

Qui vero *posteriorem sententiam* tuentur, inter quos JACOBUM CAPPELLUM Chronol. ad A. M. 3321, USSERIUM Annal. ad A. M. 3321, TREMELLIUM, CALOVIUM, DORSCHEUM, GLASSIUM, BENGELIUM, Ord. Temp. edit. sec. p. 123. *Welt-Alter* p. 118 seq. *Beerium Richt. Verein. der Regier. Jahre der Koenige von Juda und Israel.* p. 88. & *S. R. D. D.* CRUSIUM, Hypomn. in Th. Proph. P. I. p. 277. 491. nominasse sufficiat: illi non textum modo, prout verba sonant, interpretantur, sed complementum etiam in eventu ponunt, ex ipsa quoque historici sacri recensione, satis memorabili & insigni. Quam sententiam, præsenti hac opella, uberius illustrandam, & a dubiis, quæ illi moventur, liberandam suscipimns.

§. 2.

Epocha ipsa l. c. his expressa verbis legitur:

ובעוד ששים וחמש שנה יחת אפרים מעם׃

Chald. ובסוף שתין וחמש שנין יבטלון בית ישראל ממלכו׃

LXX. Intt. *ἀλλ' ἔτι ἑξήκοντα καὶ πέντε ἐτῶν, ἐκλείψει ἡ βασιλεία Εφραὶμ ἀπὸ λαοῦ.*

Vulg. Et adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus.

בעוד *in adhuc*) Vocula hæc cum *verbo futuri temporis constructa* tempus denotat, quod cum ipso sermone incipit. Ex. gr. Gen. XL, 12. 13. *Tribus abhinc diebus* recensebit te Pharao coll. v. 19. 20. Jos. I, 11. In *adhuc tribus diebus* transituri estis Jordanem. Jes. XXI, 16. *In adhuc uno anno* consumetur omnis gloria Kedar. Jerem. XXVIII, 3. *Intra biennium* ego reducam in hunc locum omnia vasa. *Jonæ* III, 4. *Adhuc quadraginta dies*, & subver-

vertetur Ninive. Nec declinari vis hujus particulæ *adhuc* poteſt locis Gen. XLV, 3. II. Sam. XII, 22. & Jer. XV, 9. a CASP. SANCTIO ad h. l. Jes. allatis: quum exempla prorſus diſparata ſint, & in illis *adhuc* non jungatur verbo futuro, nec res ſint eventus futuri, nec terminus, a quo initium temporis ſumitur, ſigatur per כ. Sed agant tantum *vel* de re exiſtente hucusque, *vel* de duabus rebus, quarum exiſtentiæ junguntur, ut altera extiterit, dum altera adhuc exiſtebat, uti GVSSETIVS monet, *Comment. Ling. Hebr.* edit. Lipſ. p. 1701.

שִׁשִּׁים וְחָמֵשׁ שָׁנָה *ſexaginta quinque annis*) Conſtans hæc eſt omnium Codicum lectio, quam etiam Verſiones Antiquæ exprimunt.

יֵחַת אֶפְרַיִם *frangetur ſ. atteretur Ephraim*) populus decem tribuum, phraſi ſcripturæ a tribu imperante & regia ita dictus, tum valde potens & Judæ formidoloſus, v. 1. recentique victoria anni prioris elatus 2. Chron. XXVIII, 5. 6.

מֵעָם *a populo*) i. e. vulgata ſatis phraſi, pro מִהְיוֹת עָם, *ne ſit populus*. In expugnatione Samariæ, anno Epochæ noſtræ XXI, Ephraim *deſiit eſſe regnum*, ſed *nondum deſiit eſſe populus*; quemadmodum deleta Hieroſolyma & in captivitatem abductis Judæis *regnum Judæ* ceſſavit, nequaquam vero *populus Judæ*, remanentibus, *numerum* ſi ſpectes, non robur & opes, longe plurimis, quibus vineæ agrique, quos colerent, diviſi, præfectus etiam ex ſua gente, *Gedalja*, *datus*, 2. Reg. XXV, 12. Jer. LII, 16. XL, 5—12. *Populus* eſſe deſiit Ephraim demum finitis 65 a prædictione Prophetæ annis.

§. 3.

Verbis Epochæ expenſis progredimur jam ad determinationem *temporis*, quo Propheta eam prædixit, ut initium, a quo anni 65 computandi ſunt, figi queat. „*Accidit*, inquit Prophe„ta, Cap. VII, 1. *in diebus Achazi*, *filii Jothami*, *Regis Judæ*, *ut*

 „*aſcen*-

„*ascenderit Rezin, Rex Syriæ, & Pecach, filius Remaljæ, Rex Israe-*
„*lis, Hierosolymam, ad eam oppugnandam, sed non valuit expugnare*
„*eam.* Ipse quidem annus regiminis Achazi, quo id contigerit, *præcise* heic non exprimitur: uti id Cap. VI, 1. XIV, 28. XXXVI, 1. a Propheta factum legimus: Sed *in initio Regni Achazi* hæc gesta incidere, ex II. Regum & II. Chronicorum patet. Nam

1) II. Reg. XVI, 1—5. eadem expeditio, *Rezinis*, Regis Syriæ, & *Pecachi*, Regis Israelis, cum *initio regiminis Achazi* conjungitur; imo *ante memoratam Jothami, Patris Achazi, mortem* immittere jam cœpisse Deus dicitur *copias Rezinis & Pecachi* in *Judæam*, 2. Reg. XV, 37.

2) *Pecachus*, filius Remaljæ, quem constat regnasse Samariæ 20 annos, occisus est ab *Hosea*, *anno 20 Jothami*, i. e. *quarto Achazi* ineunte 2. Reg. XV, 30.

Quin ergo *sub initium* regni Achazi, & *vix tribus primis Achazi annis* elapsis, *prædicta ab Jesaia* epocha nostra fuerit, dubitari nequit. *Primus Achazi annus* est, ex calculo BENGELII, A. Per. Jul. 3971, annus ante Æ. D. 743. Ord. Temp. p. 6. a quo VSSERIVS in Annalibus uno modo anno differt; consequenter Epochæ nostræ initium neque anno ante Æ. D. 743. præponi, neque anno 739 postponi potest.

§. 4.

Anno autem præcise *secundo* Achazi Epocham nostram prædictam esse, *duplex* Regum Syriæ & Israelis contra Achazum *expeditio* suadet. Nam, præter eam, quæ (§. antec.) ex II. Reg. XVI, 1—6. memorata, & ab *utroque Rege, Rezine & Pecacho conjunctis viribus*, facta erat, II. Chron. XXVIII, 1—6—15. recensetur alia, *separatim* a *Rezine* & *Pecacho* suscepta. *Tradidisse* sc. dicitur Deus *Achazum*

α) *in potestatem Rezinis, Regis Syriæ,* qui *affecerit eum magna clade & captivos multos abduxerit Damascum;*

β) *Tradidisse præterea in potestatem Regis Israelis, Pecachi, qui pariter magnam in Judæis commiserit cædem, ad centum & viginti*

millia

millia virorum fortium, & captivos etiam fecerit majore adhuc numero, sed *ad orationem Odedi, Prophetæ, postea dimissos.*

Lightfootus *Chron. Temp. & Ord. Text.* Op. Tom. I. p. 101. *expeditionem utrobique eandem memorari* existimat, & *abeuntes Reges,* cum *nihil profecissent in obsidione Hierosolymæ, prædam in hostico egisse, & post cædem factam abduxisse captivos.* Verum, qua ratione hæc sententia cum verbis Jesaiæ ad Achazum. v. 4: *Tranquillo sis animo, ne timeas, ne mollescat cor tuum propter binas istas caudas titionum fumantium,* conciliari queat, equidem non perspicio. *Post* amplissimam promissionem propheticam *de irrito successu susceptæ expeditionis hostilis secuta* esse nequit clades tam insignis *eaque duplex, ab utroque Rege.*

Alii igitur *duas tempore diversas* invasiones bellicas statuunt, a Rezine & Pecacho contra Judæam susceptas, sed, utra præcesserit, vel secuta sit? inter illos non convenit. Grotius in not. ad 2. Chron. XXVIII, 6. & Usserius *Annal.* ad a. M. 3262. putant, expeditionem illam, cujus Jes. VII, 1. & 2. Reg. XVI, 1 — 6. mentio fit, esse *priorem,* eamque incidisse in *annum Achazi primum,* sed expeditionem, 2. Chron. XXVIII, 5 — 8. memoratam esse *posteriorem,* & factam *anno Achazi secundo.* Ita namque Usserius,

ad A. Mundi 3262: „Quum sub finem regni Jothami cœpisset „Deus immittere in Judam Rezinem, regem Syriæ, & Pecachum, Remaljæ filium, 2. Reg. XV, 37. audito jam adventus „eorum rumore, Domus David cum populo contremuit, præsentissimum sibi excidium imminere metuens. Regi Achazo „consternato Deus, per Jesaiam Prophetam, ipsius liberationem & hostium interitum denunciat. — *Post* editas has Prophetias Rezin & Pecachus *junctis viribus* ascenderunt ad oppugnanda Hierosolyma, ubi obsederunt Achazum, sed, uti prædictum fuerat, non potuerunt debellare. Impius Achaz a „præsenti ereptus periculo Deum liberatorem deseruit; ambulavit enim in viris Regum Israelis.

Ad A. M. 3263: „Deserens Deum Achazus a Deo desertus est. „Unde

„Unde reversi ad eum Rezin & Pecachus, *separatis* copiis eum „debellarunt, quod conjunctis viribus *prius* efficere non value„runt.

(Gatakerus vero, Polus, White, (*Annot. ad* Jes. l. cit.) aliique opinantur, eam expeditionem, quæ 2. Chron. XXVIII, 1 — 6. commemoratur, esse *primam*, qua Syri & Israelitæ, *divisis copiis* in Judæam irruerint, & *duplici clade* Achazum affecerint; Quo successu animati, & ob petitum ab Achazo Assyrii auxilium irritati, *altera vice* expeditionem in Judæam *unitis viribus* susceperint, urbemque Hierosolymam obsederint, 2. Reg. XVI, 5. Jes. VII, 1. constitutum habentes, ejecto Achazo, filium Tabealis Judææ Regem imponere. In quibus summis Achazi angustiis, tum ob hostium potentiam, tum ob Assyriorum, quorum auxilium imploraverat, moram Jesaias eum erexerit, & liberationem ob hostibus promiserit. Quæ posterior sententia omnino priori præferenda videtur, ob sequentes rationes, a Vitringa, Comment. in h. l. p. 170. allatas: 1) quia ad *expeditionem contra Hierosolymam unito duorum Regum exercitu* susceptam Achazus & Judæi tantopere fuerunt commoti. Jes. VII, 2. Quodsi vero Achazus potuisset tunc exercitum producere *supra centum millia virorum fortium*, quod supponitur in Historia Chronicorum, cum multo plures cæsi fuisse narrentur; nulla fuit caussa, ante eventum in omni prælio dubium, tanti metus. Patet igitur, illum exercitum jam *antea in prima expeditione*, quæ 2. Chron. XXVIII, 6. describibitur, fuisse cæsum. 2) Non potuerunt Rezin & Pecachus consilium inire de *obsidenda Hierosolyma*, quod Jes. VII, 1. fecisse dicuntur, nisi jam *antea* fudissent Achazi copias, ejusque fregissent vires, quæ decedente Jothamo plane adhuc integræ erant. 3) Patet ex ipsa oratione Jesaiæ, Cap. Cit. v. 20, Achazum jam tum cogitasse de auxilio Regis Assyriæ, quod non fecerit, nisi desperatis rebus, post magnam jam acceptam cladem.

§. 5.

Cum igitur *anno regni Achazi secundo* vires ejus jam fractæ essent,

essent, flore populi per antecedens bellum, a Rezine & Pecacho felicissime gestum, erepto, cogitaretque Rex, in maximis versatus angustiis, de Rege Assyrio in auxilium suum advocando: Propheta Jesaias, jussu divino adiit eum, & tranquillo esse animo jussit, rationes, cur ipsi non timendum sit? addens: v. 7. *Sic ait Dominus*: *Non stabit neque fiet*, i. e. effectu destituetur captum Rezini & Pecachi de expugnanda Hierosolyma alioque constituendo Rege consilium. Utrumque potius Regnum, tam Syriæ quam Ephraimi, suis circumscriptum limitibus manebit. v. 8. *Damascus* tantum erit *caput Syriæ*, & non etiam Judææ; *& caput Damasci Rezin*, qui non latius imperabit, quam nunc imperat: *Et in adhuc sexaginta annis atteretur Ephraim*, *ut non sit populus*: Interea *Samaria erit caput Ephraim*, *& filius Remalja*, (qui presso nomine proprio, *Pecach*, per contemtum sic appellatur, ut filius privati hominis, per scelus Rex factus, 2. Reg. XV, 25.) *caput Samariæ* tantum, nec etiam Hierosolymorum.

§. 6.

Epocha ergo nostra, *a secundo Achazi anno*, i. e. anno Per. Jul. 3972, ante Æ. D. 742. *inchoanda*, *finitur* anno Per. Jul. 4037, ante Æ. D. 677, qui ad annum *Manassis*, Regis Judæ, 22 porrigitur. Nam ab *Achazi* 16, quos regnavit, annis, demto *uno*, quia ejus *secundo anno* Epocha & prædicta & inchoata est,

remanent anni	15
Hiskias regnavit annos	29
adde ab annis regiminis Manassis, (qui 55 annos regno præfuit,) annos	21
Summa	65

Idem annus Epochæ ultimus, i. e. ante Æ. D. 677. est tertius *Assaradini*, Assyriæ Regis, post occupatam Babylonem, secundum Canonem Ptolemæi. vid. Bengelii Ord. Temp. ed. sec. p. 166.

§. 7.

Constituto Epochæ nostræ *initio* & *fine*, quid historia sacra intra definitos 65 annos de fatis Ephraimi doceat, accuratius inquirendum est, ut, qua ratione Vaticinium impletum sit, & Ephraim tandem populus esse desierit? constare queat. *Tres* insignes exitii Ephraimitici *gradus* ab historicis sacris memoratos habemus. *Primus* ruinæ gradus est *abductio populi Gileadis & Galilææ in captivitatem Assyriacam*. Vix *biennio*, post editam de Epocha nostra prophetiam, elapso *Tiglath-Pileser*, Assyriæ Rex, ab Achazo in auxilium vocatus, *Pecacho*, Regi Israelis, *florentissimam populi Ephraimitici partem, populum Gileadis*, videlicet *Rubenitas*, *Gaditas* & dimidiam tribum Manassis ademit, inque *Chalachum*, *Chaboram*, *Haram* & *Nehar-Gozanem abduxit*; deinde, trajecto Jordane, *Galilæam occupavit, ejusque incolas cum Naphthalitis omnibus in Assyriam deportavit*. 1. Chron. V, 26. II. Reg. XV, 29. Conspiravit quoque *Hoseas*, filius Elæ, in ipsum *Pecachum*, *Remaljæ filium*, Regem Israelis, eumque *occidit*, anno Jothami vicesimo, i. e. *Achazi quarto*. 2. Reg. XV, 30. In eadem expeditione Rex Assyriorum *Tiglath-Pileser*, etiam *contra Damascum ascendit, & vastavit eam*, & *transtulit habitatores ejus Kirem*, & *occidit Rezinem*. 2. Reg. XVI, 9.

§. 8.

Secundus gravior, multo & funestior gradus erat *expugnatio Samariæ ipsius, destructio regni Israelitici, & incolarum in Assyriam deportatio*, anno Epochæ nostræ 21, ante Æ. D. 722, facta. *Hoseas* filius Elæ, cæde Antecessoris, *Pecachi*, viam quidem sibi ad regiam dignitatem paravit; regno autem ipso, per turbas domesticas retardato, demum potitus est, *anno Achazi duodecimo*, ante Æ.D. 731. 2. Reg. XVII, 1. *Salmanassar* vero, Tiglath-Pileseris in Regno Assyriaco successor, *ascendit contra eum, fecitque eum servum sibi & tributarium; Cumque Assyriorum Rex deprehendisset in Hosea, quod rebellare nitens, misisset nuncios ad Soum, Ægypti Regem, nec præstaret annuum tributum, obsedit Samariam tribus annis*: subque finem *anni obsidionis tertii*, regni His-

kiæ

kiæ sexti, & *Hoseæ noni cepit Samariam Salmanassar, Regem in vincula conjecit, & metropoli funditus eversa*, Michæ I, 6. *deportavit Israelitas in Assyriam, collocavitque eos in Chalach, & ad Chaboram, fluvium Gozanitidis*, (quo Peræ incolas, sive Rubenitas, Gaditas & dimidiam tribum Manassis, prius transtulerat Tiglath-Pileser, 1. Chron. V, 26.) *& in civitatibus Mediæ*. 2. Reg. XVI. 9 — 11. *Chalach* est urbs Assyriæ, quatuor aut quinque dierum itinere a Bagdado ad septentrionem sita, a qua & regio *Chalachene* nomen accepit; *Chaboras* vero fluvius Gozanitidis, in Mesopotamia, qui urbem deinde cognominem sibi alluebat, cumque Euphrate juxta Cercusium, (*Carchemisch*) confluebat, qui tractus, ut ex 2. Reg. XIX, 12. Jes. X, 9. 10. XXXVII, 12. 13. patet, tunc jam paruit Assyriorum Regibus, qui per eum tantum Syriam & Palæstinam adire poterant, CLERICVS ad h. l.

Finis hic fuit *Regni Israelitici* A. Per. Jul. 3992, postquam illud 260 annis stetisset, a *Regno Judæ sejunctum*, BENGEL. *Ord. Temp.* p. 6. & 114. 115., sed *non populi*, qui per abductos captivos valde quidem minutus fuit, *populus* tamen *per 44 adhuc annos permansit, suis agris & urbibus, moribus, juribus & religione a reliquis omnibus gentibus discernendus.*

Id quod 1) *prædictio Jesaiæ* 2) *relictus etiam in prima illa aliquot tribuum abductione, per Tiglath pilesarem facta, populus*; & 3) gemellum *populi Judaici, per Nebucadnezarem in captivitatem abducti*, exemplum evidenter probant.

1. *Prædictio Jesaiæ.* Poteratne Jesaias, cujus prædictionem certissimam eventuque comprobatam fuisse nemo negaverit, vaticinari: *fore, ut in adhuc 65 annis Ephraim populus esse desiturus sit*, si jam annis abhinc 21 populus esse desiisset? Hoc si statuere liceret, debuisset Propheta dicere: In adhuc 21 annis Ephraim populus esse desinet.

2. *Relictus ex iis quoque tribubus, quas Tiglathpileser abduxit, populus, quem numerosum remansisse extra omne dubium est.* Nam, teste historico sacro, 2. Chron. XXX. *Hiskias*, sub initium regni sui, tertio ante obsidionem Samariæ anno, Pascha celebraturus, ad *universum*

versum Israelem nuncios misit, v. 1. iveruntque nuncii a Berseba, termino Palaestinae australi usque *ad Danem, terminum Borealem*, v. 5. per *universum Israelem* & *Judam*, & *ad reliquos e manu regum Assyriorum* v. 6. *transeuntes ab urbe in urbem*, per *terram Ephraim* & *Manasse usque ad terram Zebulon*; aliis quidem deridentibus nuncios; v. 10. aliis vero ex *Asser, Manasse & Sebulon* sese humiliantibus & reverenter nuncios excipientibus. v. 11. *erat ingens multitudo populi* ex *Ephraim, Manasse, Isaschar & Sebulon* v. 18. Atqui, ad Pascha celebrandum cum invitaret Hiskias *omnem Israelem*, nonmodo *Rubenitae, Gaditae, & dimidia tribus Manassis*, sed & *incolae Galilaeae, Sebulonitae & Napthalitae omnes* in Assyriam deportati jam a *Tiglathpitesere* fuerunt. Quid igitur? Non ita primum illud tribuum abductarum exilium intelligendum esse, colligimus, ac si nihil e tribubus istis in patria remanserit. Ditiores tantum & fortiores, qui in patria motuum novorum suasores esse poterant, abducti fuerunt, *reliqui*, qui si numerum spectes, abductos facile aequare imo superare poterant, *in patria relicti*, quorum etiam v. 6. expressa mentio fit.

Quod de *prima aliquot tribuum abductione* valet, idem de *insequente altera reliquarum tribuum* per *Salmanassarem* post *captam deletamque Samariam* facta, sentiendum est. Imminente enim Assyriorum invasione, & durante per tres annos Samariae obsidione, quin plurimi Israelitarum, qui ultima experiri nollent, in vicinam Judaeam ad Regem Hiskiam, qui illos antea jam ad antiqua sacra invitaverat, venientesque comiter exceperat, confugerint, dubitandum non est. Hi ergo ex numero abductorum jam eximendi sunt. Accedit, quod ipsa Samaria, a Salmanassare funditus eversa, post annos quadraginta reaedificata inveniatur, ejusque urbes ab Israelitis habitatae dicantur, 2. Reg. XVII, 24. *ante novos colonos, e Babylone adductos*: Unde liquido constat, nec à Salmanassare omnes Israelitas abductos fuisse, sed reliquias populi non modicas in solo patrio remansisse, ipsam successive Metropolin restaurantes.

3. Ge-

3. *Gemellum deportationi decem tribuum exilium Judæorum sub Nebucadnezare idem* evincit. Celeberrimus Dominus MICHAELIS, in elegantissima de *Exilio decem tribuum commentatione*, quam integram huc conferri velim, &, quæ inter Commentationes *Bremæ* a. 1763. editas tertia est, ita §. III. „Quæ de integrarum gentium exiliis legimus, non ita intelligenda sunt, „ac si nihil ex toto populo in patriâ remanserit — Non deserta, „sed provincias quærebant Victores, — solebantque in colonias „pauci legi, sed ditiores, qui sumtus ipsi facere possent, aut „qui in patria suasores adjutoresque rebellionis futuri videban„tur, nunc in extero solo, inque potestate victoris populi, ob„sides fidei patrum, filiorum, cognatorum, amicorumque, qui „in patria remanebant. Inops autem plebecula, sine rebellio„nis auctore, sine opibus, sine armis, sine fabris, sine duce & „milite non valde metuenda, facile in patrio relinquebatur so„lo ——. §. IV. Exemplo est gemellum deportationi X tribu„um exilium Judæorum sub Nabochodonosare — qui 2. Reg. „XXIV, 14 — 16. *in exilium abegisse dicitur omnem Hierosolymam* (licet „satis ibi relinqueretur hominum, ut rex illis novus a Babylonio im„poni posset, viresque etiam suppeterent, ad rebellandum atque per „aliquot annos Babyloniorum armis resistendum) *& omnes prin„cipes virosque militares decem exulum millia, omnes inprimis fabros „& claustrarios, nec reliquit, nisi tenuem plebeculam. Ipsum etiam „Jojachinem, cum matre regia, uxoribus, aulicis, primariisque gen„tis viris, Babylonem abduxit, omnes viros militares, quorum VII „erant millia, fabrosque & claustrarios mille, omnes, qui bellum „moliri possent.* Videtis, hic totam urbem abductam dici, re„manentibus tamen, numerum si spectetis, non robur & opes, „longe plurimis. — Judæorum illæ reliquiæ, jurisjurandi una „cum rege tributario immemores, iterum arma movere ausæ: „pacis etiam conditiones, urbe regia jam obsessa a placabili vi„ctore impetrandas, pertinaciter repudiarunt, tandemque post „atrocissimam obsidionem & famem in magni Regis redactæ po„testatem sunt. Crederes, tam obstinati populi nihil relictum

 iri;

„iri; sed & hic aliter res cecidit. Deleta urbs, exsilio puniti „832 viri, ac deinde aliquot annis interjectis 745, Jer. LII, 29. „30. exigua ac vix in censum referenda colonia. Pauperculæ „autem plebi vineæ agrique divisi, præfectus etiam ex sua gen- „te Gedalja datus. Jer. XL.

§. 9.

Tertius isque ultimus ruinæ gradus, quo tandem *populus esse Ephraim desiit*, est postrema *Israelitarum abductio*, *novorumque Colonorum in Samariam ejusque urbes*, qui, *loco Israelitarum, ibi habitarent, introductio*, *ab Asarhaddone*, definito a Propheta tempore quum anni 65 finirentur, peracta. Loca scripturæ, quæ memorabilem hunc eventum demonstrant, sunt 2. Reg. XVII, 24 — 28. & Esr. IV, 2. 10.

1) 2. Reg. XVII, 24 — 28. hæc leguntur: v. 24: „Adduxit „autem Rex Assyriæ homines de *Babylone*, & de Cutha & „de Ava & de Hamatha & de Sepharvaim, & sedes dedit „illis *in urbibus Samariæ, loco Israelitarum*, possederuntque Sa- „mariam & habitaverunt in urbibus ejus. v. 25. Cumque „*illic habitare cœpissent*, non timebant Dominum, & immisit in „eos Dominus leones, qui interficiebant eos. v. 26. Nuncia- „tumque est Regi Assyriorum & dictum: Gentes, quas trans- „tulisti, & quibus sedes in Samariæ urbibus dedisti, igno- „rant instituta Dei terræ hujus. v. 27. Præcepit ergo Rex „Assyriorum: mittite illuc *unum e Sacerdotibus*, *quos inde cap- „tivos abduxistis*, ut vadat & habitet cum iis, & doceat eos „instituta Dei terræ istius. v. 28. Venit ergo unus e *Sacer- „dotibus, quos transtulerant de Samaria, habitavitque Bethele*, & „docuit eos, qua ratione Dominum venerarentur.

Obs. 1. Quisnam fuerit hic Assyriæ Rex, qui colonos hosce novos in Samariam misit, & quonam id præcise tempore vel anno factum fuerit? historicus Sacer, hoc quidem loco, non memorat. Unum vero eundemque Regem Assyriæ colonorum

norum auctorem esse, non plures: ipse verborum textus tenor satis, ut puto, aperte docet, *sub initium habitationis* colonos istos a Leonibus infestatos, hocque malo, ut Sacerdotem peterent, qui eos in institutis Dei terræ hujus informaret, excitatos fuisse, memorans.

Obs. 2. Sunt, qui *Salmanassarem* colonos misisse existimant, quæ vero sententia non modo non verisimilis, sed oppido erronea est. An funditus deleturus erat *Salmanassar* Samariam, quæ funditus deleri debebat, Michæ I, 6. si eam mox colonis habitandam dare voluisset? Ipse hic Rex Assyrius post deletam Samariam vis sex annos in vita superstes mansit: testeque *Menandro in expeditione contra Tyrios quinque annos* consumsit, apud JOSEPH *Antiq. Jud.* Lib. IX. C. XIV. Intra quinquennium vero Samariam, cum Assyrius vastator cum exercitu in vicina Palastinæ regione Tyriorum esset, a reliquiis Ephraimitarum *reædificatam* fuisse, vix credibile videtur. Anno autem, post deletam Samariam sexto *Senacheribus* Salmanassari jam successisse statuitur, qui per *triennium* bellum Ægyptiacum gessit Jer. XX, 1 — 3. quo exacto, clade, per angelum exercitui Assyriaco illata, Niniven reversus est. Jes. XXXVII, 36. 37. anno Hiskiæ XIV, post captam Samariam IX, ante Æ. D. 713. Sed falsitatis arguunt hanc hypothesin sequentia.

α. Repugnat illi terminus Epochæ, a Propheta prædictus. Non enim intra annos XXI vel XXVI, sed in annis demum LXV. Ephraim populus esse desiit. Desiit autem *per novos colonos, Samariæ ejusque urbibus immissos, loco Israelitarum.*

β. Repugnant Coloni, inter quos *e Babylone* missi primi nominantur. In Babylonios nullum jus competiit Salmanassari, quibus tum proprii præerant Reges secundum Canonem Ptolemæi, BENG. Ord. Temp. p. 166. Anno quidem ante Æ. D. 722. quo deleta Samaria est, *Jugæus*, & inde ab a. 721. usque ad a. 709. *Mardokempadus*, qui Jes. XXXIX, 1. *Merodach Baladan. Rex Babelis*, nominatur.

γ. Re-

γ. Repugnat ipsa *Samaritanorum*, qui Judæis *Cuthei*, (a Cutha, ex qua pariter Samaria colonos accepit,) dicuntur, confessio, qui sese ab *Asarhaddone*, *Assyriæ Rege*, in Samariam adductos fuisse testantur, Esræ IV, 2. qui locus jam priori addendus est.

§. 10.

2.) Esræ scilicet cit. loco *Inimici Judæorum*, *Cuthei* inprimis sive *Samaritani* convenisse dicuntur Serubabelem, & communem ad instaurationem Templi Hierosolymitani Judæis operam obtulisse, hac addita ratione: *Instar vestri quærimus Deum* — *a temporibus Assarhaddonis, qui nos huc adduxit.* Ejusdem capitis v. 10. *Asnaphar magnus & illustris transtulisse colonos dicitur, eosque collocasse in urbibus Samariæ*, quo nomine vel ipse *Assarhaddon* vel quis Dux aut præfectus ejus, qui coloniam harum gentium, ejus jussu in Israelitarum agros deduxit, significatur. Supplet ergo nomen proprium Assyriæ Regis, 2. Regum XVII. omissum, Esras, atque *Assarhaddonem colonorum autorem fuisse* clarissime testatur.

Obs. 1. *Asarhaddon* filius *Senacheribi*, patri *in regno Assyriæ* successit, anno circiter *Hiskiæ* XV, anno ante Æ. D. 712. *Senacheribus* enim, post insignem cladem exercitui Assyriaco illatam *in terram suam reversus consedit in Ninive. Cumque adoraret in templo Nisroch Deum suum, Adrammelech & Sarezer, filii ejus, percusserunt eum gladio. Ipsi vero se proripuerunt in terram Ararat, & regnavit pro eo Asarhaddon filius ejus.* 2. Reg. XIX, 36. 37. Jes. XXXVII, 37. 38. Addit JOSEPHUS *Antiq. Jud.* Lib. X, cap. 2. *parricidas* fuisse *filios seniores*, illosque ὑπὸ τῶν πολιτῶν, a *Ninivitis pulsos ob cædem patris.* Regni itaque Assyriaci successione exciderunt filiis natu maximi, prælato minorenni, non sine turbis popularibus. Verisimile est, in urbe Ninive, sub tenera hujus Regis ætate aliquantum temporis civilibus Assyriorum discordiis absumtum fuisse; *Medosque*, post cædem Senacherebi, excusso Assyriorum Jugo, *Dejocis* imperio se subjecisse.

Obs. 2. Sub idem tempus, quo *Asarhaddon* in regno Assyriæ successit,

cessit, ei nondum parebant *Babylonii.* Regnabat sc. tum Babylone *Merodach Baladan, Hiskiæ* literas & munera per legatos mittens, ut gratularetur ei, quod convaluisset. Jes. XXXIX, 39. 2. Reg. XX, 12.

Obs. 3. Anno demum Æræ Nab. 67, ante Æ. D. 680 celebratur nomen *Asarhaddomis* in citato *Canone Ptolemæi*, ubi *Assaradinus* dicitur, & *inter Babylonios Reges recensetur.* Postquam enim Babylonii per octo annos sine Rege vixissent, deficiente forsan stirpe regia, *Asarhaddon*, compositis rebus regni Assyriaci internis, *Regnum Babylonicum*, dum interregni octennio laborabat, sibi subjecit, *& cum Assyriaco conjunxit, Babyloniis* inde *per tredecim* annos, i. e. ab anno ante Æ. D. 680. usque ad a. 667. imperans.

§. 11.

Uberioris illustrationis ergo conferendum quoque ducimus 3) locum 2. Chron. XXXIII, 11. ubi de *Manasse*, Rege Judæ, hæc leguntur. *Contra Judæos adduxit Jehova Duces exercitus* Regis Assyriorum, *qui Manassem ceperunt & chalybais compedibus vinctum* Babylonem *deduxerunt.* Quæ verba non *Canonem modo Ptolemæi*, qui Assyriæ Regem, Assarhaddonem, etiam *Babyloniis* imperasse docet, egregie confirmant, sed & *tempus*, quo Manasse Babylonem abductus est, cum exitu Epochæ nostræ conjungere videntur. *Captivitas* sc. Manassis ab Hebræis in *Seder Olam* in annum Manassis XXII ponitur, ad quem annum prædicti ab Jesaia anni 65 accurate terminantur. Rationem vero, cur eodem tempore & Ephraimitæ e patria pulsi sint, & Manasses ab Assyriis catenis vinctus & Babylonem deductus fuerit, verisimillimam affert *S. R. D.* Crusius Hypomn. in Theol. Proph. Part. I. p. 491. 492: „*Regno decem tribuum seu Ephraitico finis* „*factus est, capta Metropoli, Samaria, post obsidionem trium an*„*norum, a Rege Assyriorum Salmanassare.* — *Attamen ne tunc*

„*quidem tota provincia incolis evacuata est, sed Ephraim populus „mansit, quamquam sine regno. Jes. VII, 8. At post dimidium „circiter seculum non modo Ephraitæ, regnante Assaradino — „prorsus e natali solo exstirpati & in Assyriam translocati sunt, „sed & in eorum locum novi coloni — adducti sunt, 2. Reg. „XVII, 24. Intelligitur, hoc contigisse propter duplicem caussam. „Altera erat, quod succrescentes & multiplicati Ephraitæ ad in„staurandam Samariam, &, insito his hominibus fastu, ad spem „regni denuo condendi, adspirare putabantur; altera, quod Hie„rosolymitani Reges, prisco in terram duodecim tribuum Jure uten„tes, quantum possent,* (vid. pag. 265. 270. 178.) *omnes illas terras „sibi vindicabant, quibus colonia in urbe, munitissima olim, Sama„ria, opposita optime resistere poterat. Circa illud tempus — „Rex Manasses ab Assyriis captus & Babylonem vinctus abductus, „attamen propter resipiscentiam id a Deo consecutus est, ut paulo „post rediret, sive pace impetrata, quod maxime verisimile est, si„ve, quod ex custodia aufugit.*

§. 12.

Est ergo, si citata tria Scripturæ testimonia conferas, *Assarhaddon* Esr. IV, 2. ille Assyriæ Rex, qui, sub regiminis Babylonici initia, priscum Assyriorum etiam in Ephraimitas Jus reassumens, providentia divina rem ita moderante, ut prædicta ab Jesaia Epocha definito tempore impleretur, *tertio* post occupatam *Babylonem anno*, ante Æ. D. 677, (hunc enim annum veritas Epochæ 65 annorum, ab *anno secundo Achazi*, i. e. ante Æ. D. 742. incipientium, (§. 6.) indubium reddit,) *populo Israelitico finem imposuit.* Nam

1) *postremam Ephraimitarum partem*, quæ, a Salmanassare relicta, intra dimidium fere seculum succreverat, *Samariamque & ejus urbes habitaverat*, 2. Reg. XVII, 1. & partim ipsa nova moliri, partim a Manasse ad defectionem ab Assyriis solicitari videbatur, *e terra hereditaria ejecit*, & *captivam* abduxit, v. 27.

28. ea-

28. eademque opera principes exercitus Assyriaci in vicinam Judæam misit, qui Manassen ceperunt & Babylonem abduxerunt, 2. Chron. XXXIII, 11.

2) Ne vero terra Ephraimitica incolis careret, *novos colonos*, ob idolorum cultum cum vicinis Judæis non coalituros, & præsidiorum loco contra Reges Judæ futuros,
e Babylone, noviter subjecta,
e *Cutha*, urbe & regione secundum JOSEPHUM *Antiq. Jud.* Lib. IX. cap. 14. §. 3. in Persia sita,
e *Hava*, *Hamatha* & *Sepharvaimis*, urbibus, ut videtur, Mesopotamiæ aut Syriæ, ab Assyriæ Regibus olim subactis, 2. Reg. XIX, 13. *in Samariam ejusque urbes, loco Israelitarum, collocavit, qui hereditario deinceps Jure terram decem tribuum possederent.* 2. Reg. XVII, 24. Novi hi coloni, a Samaria, quam incolebant, *Samaritani* dicti, *sub initium habitationis*, quia Deastros suos patrios in terram olim Ephraimiticam attulerunt, Leonibus infestati sunt; quam plagam divinitus immissam intelligentes, sibique ideo obtingere putantes, quod Numen terris his præsidens & a prioribus cultum incolis ipsi non colerent, Sacerdotem petierunt, qui eos instituta Dei terræ hujus doceret. Illi autem Jeroboami ritibus idololatrias patrias addiderunt; unde *Dominum revereri* & *non revereri* dicuntur. Atque inde lites ortæ, quæ inter Judæos & Samaritanos perpetuæ fuerunt.

§. 13.

Atque hac quidem ratione, *intra 65 annos Ephraim populus esse desiit*, vaticinio per triplicem Ephraemitarum in exilium abductionem impleto, quarum ultima, cum introductione novorum colonorum conjuncta, tandem effecit, ut *postrema Ephraemitarum pars, terris hereditariis ejecta, Juribusque patriis & propria reipublicae forma privata, pro populo ab aliis gentibus discreto amplius haberi non potuerit.*

§. 14.

Nec vero dissimulanda dubia sunt, quæ assertæ hactenus sententiæ nostræ a Viris eruditis opponuntur, ut, remotis illis, hæc ulterius confirmetur.

VITRINGA, *Commentar.* in h. l. p. 178. fatetur quidem, inter ceteras, quæ circumferuntur, Epochæ nostræ interpretationes, hanc communiorem haberi posse maxime probabilem, sed existimat tamen, esse in ea plura, quæ eam minime commendent, opponitque sequentia:

α) Quis, inquit, reddat rationem justam & æquam, quare Propheta, vaticinaturus de excidio Regni & Reipublicæ, hunc potius casum translatorum in Samaritidem colonorum memorare voluerit, quam notabilem illum expugnatæ Samariæ, *destructi* regni & deportatorum Israelitarum in Assyriam & Mediam, qui hoc posteriore longe haberi debet major & insignior?

β) Quare idem Propheta, qui in tota hac prophetia urget accelerationem divini Judicii in Ephraimitas & Syros, in Judicio Ephraemitarum potius *extremum terminum* ejus voluerit notare, quam præcedentem longe insigniorem? Equidem certus sum, auditorum Prophetæ neminem fuisse, qui, hæc verba cum intelligeret: *Atteretur Ephraim, ut non sit populus*, non potius cogitaverit de eventu antecedente excidii reipublicæ, quam de consequente, qui merito non tanti censeri poterat momenti. Forte etiam nemo Interpretum de eo cogitasset, si necessitas aliqua eos ad id non compulisset.

γ) Quod autem urgeant phrasin: *ut non sit populus*: dubium mihi non est, quin eam, propter hypothesin, nimis presse interpretentur, ut omnia hic ob eandem rationem in majus augeant. Ephraemitæ vere desierunt *esse populus*, quando soluta est respublica, destructum regnum, transportati in Assyriam incolæ.

δ) Quod autem supponit ὁ πάνυ, (VSSERIVM innuit) *reliquias* in terra superstites aliquam adhuc post illud tempus *retinuisse faciem reipublicae*, nunquam probaverit; & quod supponunt alii, esse confusas & permixtas cum novis colonis, neque illud etiam satis liquet. Quin constat, residuum illud adhuc superstes fuisse tempore Josiæ, 2. Chron. XXXIV, 6. 7. 33. XXXV, 18. & discretum etiam a novis colonis, nec potuissent post reditum ex exilio *tribus Israelitarum* amplius discerni, si hoc sensu desiissent esse populus, ut cum aliis gentibus plane confusæ fuissent: etsi tam ex his, quam ex ipsis Judæis plures commixtos esse, quis dubitet?

NOLDIVS *Concord. Partic. in annot. & vindiciis* n. 966. p. edit. Jenensis 846. hæc opponit:

Propheta non potest credi magis attendisse *ad colonias aliquas, quam ad tam gravem & momentosum totius regni casum & tot tribuum abductionem:* maxime, cum in ea populus Samariticus *coloniis* etiam permutatus fuerit. 2. Reg. XVII, 24. Tunc *Ephraim desiit esse populus*, i. e. *respublica*. Et hoc sufficit. Nam ne quidem post colonias illas ipsas Esarchaddon, *Israelitae* ibi penitus sunt sublati; (quod illi intelligunt *per desiisse esse populum*) Quum secus, tot annos post, συγγενεῖς *cognati* vel *contribules* non potuissent dici. *Joseph*. Antiq. Lib. XI. cap. 8. §. 6. Lib. XII, cap. 7. coll. 2. Reg. XVII, 36.

JAKSONVS denique Chronol. *Alterth. p.* 233. 234. „*Damit das Land,* „*nachdem die Israeliten nach Assyrien waren geführt, nicht wüste, und* „*ohne Einwohner bleiben mæchte: liess Salmanasser Leute von Babylon,* „*von Cutha, — — kommen, und besezte die Stædte in Samariæ an statt* „*der Kinder Israel. Diese Vælker wurden nicht von dem Asar* „*haddon gesezt, wie Esr. IV, 2. in allen Abschriften steht, deren Lese-* „*art von Usser, Marsham und andern angenommen ist: Sondern es* „*waren Pflanz-Vælker, die Salmanasser —dahin geschikt, und so hat* „*auch* JOSEPHVS *in seiner Abschrift des Esra gelesen,* Antiq. Lib. IX,

„cap.

„cap. 2. p. 549. cap. IV, p. 556. — — *Nimmt man an, wie man zu „thun pflegt, dass Assarhaddon eine Colonie in das Israelitische Land, „44 Jahr nach der Gefangenschaft der zehen Stæmme geschikt: wie „konnte diss eine Erfüllung der Weissagung Jesaiæ seyn, die schon „44 Jahr vorher erfüllt war? Dann es war mit den Israeliten aus, „und sie waren kein Volk mehr, nachdem Salmanasser Samarien ein-„genommen, und sie in die Gefangenschaft nach Assyrien geschikt hatte. „Ich wundere mich also, wie so gelehrte Männer, als* USSER *und „der grosse* NEUTON *sind, sich mit einer Auslegung begnügen kænnen, „welche augenscheinlich grundloss ist.*

§. 15.

Sed solvitur quidquid in his ratiociniis nodi est, per ipsa *verba Prophetæ, cum fatis Ephraimi, in historia sacra memoratis*, quæ modum complementi Prophetiæ demonstrant, *collata.*

Ad VITRINGÆ oppositionem

α) rationem reddi justam non posse, *quare Propheta casum potius translatorum in Samaritidem colonorum memorare voluerit, quam notabilem illum Samariæ expugnatæ, destructi regni, & deportatorum Israelitarum in Assyriam, qui hoc posteriore longe haberi debeat major insignior.*

Resp. 1. Propheta simpliciter prædicit, *fore, ut in annis 65 Ephraim populus esse desiturus* sit. Qua id ratione fieri debeat, providentiæ divinæ committit, & ex eventu exspectandum jubet. Et dum *populum Ephraemiticum* in annis *demum 65 cessaturum ait, solam expugnationem Samariæ regnique destructionem*, annis a prædictione jam XXI factam, salva veritate vaticinii, ne respicere quidem potuit. Quæstio: uter casus notabilior sit: an prior ille expugnatæ Samariæ destructique regni? an posterior translatorum colonorum? præter rem formatur. Vterque notabilis fuit, ille *regnum Ephraemiticum*, hic *populum cessare fecit.*

Ad

Ad β) Rationem reddi justam non posse, quare Propheta *extremum potius terminum* in judicio Ephraemitarum *voluerit notare*, quam *praecedentem* (destructi sc. regni) *longe insigniorem*. Neminem etiam interpretum cogitaturum fuisse *de termino extremo*, nisi necessitas aliqua eos ad id compulisset?

Resp. 1. Omnino ea debetur verbo divino reverentia, *ut verbis tam claris*, qualia hujus Prophetiæ sunt, & quæ interpretationem ipso complemento confirmatam admittunt, *inhæreatur*; & oppido mireris, Virum hunc eruditissimum, contra omnium Codicum & Versionum fidem, ex mera conjectura, numerum annorum solicitasse, de qua ejus hypothesi infra.

Resp. 2. Debuit Propheta terminum extremum notare, quia annos 65 ponit. Si *destructionem regni* prædicere voluisset, eamque *simul pro cessatione populi* habuisset; dicere debuisset: *In* 21 *annis Ephraim desinet esse regnum* & *populus*. Scopo quidem Prophetæ, qui erat Achazum & domum Davidicam solari, id videri potuisset convenientius; sed per id, quod nobis convenire videtur, Dei verba interpretanda non sunt.

Ad γ) *Ephraimitas desiisse esse populum, quando destructum regnum & deportati in Assyriam incolæ.*

Resp. hanc hypothesin esse falsam. Nititur ea ista opinione, *quæ integras decem tribus & vero ingenti agmine in Assyriam transportatas statuit*, quam Cel. Dn. MICHAELIS Comm. supra citata solide destruxit. Judæi ante & post expugnatam Hierosolymam destructumque Regnum in Captivitatem Babylonicam deportati sunt, & tamen *populus*, deportatos numero longe superans, *in terra Judæ superstes mansit*. Destructio *regni* non infert *solutionem totius reipublicæ*,

Ad

Ad δ. probari non posse: *reliquias in terra superstites* aliquam *adhuc post destructum regnum retinuisse faciem reipublicæ.*

Resp. omnino id inde probari, *quia superstites Ephraimitæ in urbibus Samariæ cum suis sacerdotibus* expresse *habitasse dicuntur* usque ad illud tempus, quo *novis colonis*, ab Asarhaddone introductis, *locum facere debuerunt*, 2. Reg. XVII, 24: Confusos vel permixtos illos fuisse cum novis colonis ipsi non statuimus. *Singuli Israelitæ*, tempore *Josiæ* superstites, non constituunt *populum*.

Noldii dubio responsione ad α) & γ) obj. Vitringæ ex parte jam satisfecimus. Addit, is quidem: α) jam in *abductione tribuum per Salmanassarem facta* ab *eodem Rege Assyriæ colonos Samariam* adductos fuisse: β) *ne quidem post colonias ab Aserhaddone adductas Israelitas penitus sublatos esse*, quia apud Josephum *Samaritani* συγγενεῖς Judæorum dicantur.

Sed *prior ratio* frustra supponitur; Contrarium enim supra a nobis jam probatum est. *Posterior* vero ideo non procedit, quia *singulos Israelitas* hic vel ibi relictos fuisse non negamus: sed *Populum Ephraimiticum* cessasse asserimus. Quod vero ad Josephi locum attinet, ille non *primam Samaritanorum periodum idololatricam*, sed *secundam*, per Judæos cum Samaritanis mixtos, *reformatam* respicit, quæ exordium capit ab exstructione templi in monte Garizim & Pontificatu Manassis. Tunc enim a Judæis defecerunt plurimi ad Samaritanos, quum multi sacerdotes & Israelitæ intricati essent & impediti illegitimis conjugiis, de quibus Josephus eodem cit. Lib. XI. c. VII. agit. Vid. Relandi Diss. *de Samaritanis*, quæ *septima* est Tomi II. Diss. Miscell. §. 3.

Jaksoni asserta *partim* mera hypothesi nituntur, annos 65 ab Jesaia prædictos, non a tempore Prophetiæ, sed retro a tempore Amosi inchoandos esse, de qua infra; *par-*

tim

tim temeraria conjectura, lectionem Esræ VI, 2. erroneam esse, & loco *Assarhaddonis* ibi substituendum Salmanassarem, cujus nullam aliam rationem affert, quam authoritatem JOSEPHI, heic maxime fallibilem. Quare non erat, cur USSERIUM & NEUTONUM reprehenderet.

§. 16.

Dubiis, quæ sententiæ nostræ objiciuntur, solutis restat, ut *potiores* eorum *Eruditorum, qui Epochæ complementum in expugnatione Samariæ & destructione regni Israelitici ponunt*, *sententias* recenseamus, & modeste dijudicemus.

Prima est *Veterum Hebræorum*, qui, ut numerum 65 annorum retineant, eundem vero ultra excidium Samariæ non extendant, *initium* Epochæ non *a secundo Achazi anno*, quo Jesaias eam prædixit, & a quo ad excidium Samariæ anni tantum XXI elapsi sunt; sed *ab eo tempore*, quo *Amosus* suam *adversus Samariam* & de *captivitate Ephraimitarum prophetiam edidit*, *repetunt*.

HIERONYMUS, Comment. in Jes. Cap. VII. his eam verbis „exprimit: Hebræi locum ita edisserunt, ut *Amos*, qui sub Ozia cœpit „prophetare, quando & Isaias prophetiæ suæ *habuit* exordium, „*primus* prophetarit contra Israel, dicens Cap. VII, 17. *Israel autem* „*captivus ducetur de terra sua.* Titulus quoque Prophetiæ ejus con„tra Samariam sit, & prophetare cœperit in diebus Oziæ, Re„gis Judæ, ante duos annos terræ motus; Volunt autem *annum* „*fuisse vicesimum quintum Oziæ*, quando hæc acciderunt, cujus re„liqui anni sunt *viginti septem.* Ozias enim regnavit *annos quin„quaginta duos*; post eum regnavit *Jotham* filius ejus, *annis sede„cim*, & hujus filius, *Achaz*, annis aliis *sedecim*, post quem re„gnavit *Ezechias*, cujus *sexto* imperii *anno* capta Samaria, atque „ita effici simul annos *sexaginta quinque*.

Sc. de annis *Uziæ*, qui annos 52 regnavit, & cujus anno 25 Amosum prophetasse de excidio Samariæ & cap-

tivi-

tivitate Ephraimitarum Hebræi volunt, supersunt anni — 27
Adde his *Jothami* annos — 16
Athazi annos — 16
& de annis *Hiskiæ*, cujus *sexto* Samaria capta, annos — 6

Summa 65 anni.

Post HIERONYMUM multi veterum æque ac recentiorum Interpretum, & inter hos CALVINUS, BRENTIUS, VATABLUS, SCHMIDIUS, NOLDIUS & JAKSONUS eandem sententiam tuentur; atque sic verba Jesaiæ interpretantur: *Adhuc futurum est, quod Amos prædixit, in captivitatem ducendos Israelitas: nec præterlabentur illi, qui in ore multorum sunt, LXV anni, quin Israel desinat esse populus.*

§. 17.

Sed magnis hæc sententia premitur difficultatibus, licet species eidem inesse videatur. VITRINGA *Comment.* in Jes. l. c. p. 177. *tres* sequentes opponit:

1. Ponamus, *Amosum* prophetasse de excidio Samariæ annis abhinc XLIII vel XLIV (ante prædictionem Jesaiæ,) quod absonum non est statuere: nullum tamen indicium est Prophetiæ Amosi in loco nostro Jesaiano. Quomodo vero supponere potuit *Jesaias*, ab auditoribus aut lectoribus intellectum iri Epocham plane extraordinariam, cujus ipse ne verbo quidem meminit? maxime vero, cum *Amosus* præcipue Prophetam egerit inter Ephraimitas.
2. Si dicas: potuisse id intelligi a piis, cum *Amos primus de abductione decem tribuum in exilium sit vaticinatus*, quod HIERONYMUS aliique supponunt: Negamus, id ita se habere. *Primus* fuit *Ahia*, qui *evulsionem Israelitarum e terra sua* jam tempore *Jeroboami* I, filii Nebat, cc circiter annis ante Amosum, prædixit 1. Reg. XIV, 15. *Et percutiet Dominus Israelem, sicut moveri solet arundo in aqua, & evellet Israelem de terra bona hac, quam dedit patribus eorum, & disperget eos*

trans

„trans flumen (Euphratem,) quia fecerunt sibi lacos, ut irrita-„rent Dominum.

3. Vocula עוד ב, in adhuc, cum verbo futuri temporis constructa, ferre hanc interpretationem prorsus nequit; sed significare debet, Epocham initium sumere a tempore, quo Jesaias illam prædixit.

Addimus hisce quartam & quintam: sc.

4. In expugnatione Samariæ Ephraim cessavit quidem esse regnum, sed nondum populus §. 8.

5. Frustra supponunt fautores hujus sententiæ, a Salmanassare, immediate post expugnatam Samariam, novos e Babylone, Chutha &c. colonos, loco Israelitarum, adductos fuisse. Contrarium ostendimus §. 9. Obs. 2.

§. 18.

Secunda est Ludovici Cappelli & Grotii, Gussetii & Vitringæ, qui *a secundo quidem Achazi anno* Epocham nostram *inchoant*, sed *finem* ejus jam *in expugnatione Samariæ* ponunt; circa ipsum vero numerum *annorum*, qui a secundo anno Achazi ad expugnatam Samariam elapsi, & *consuetæ lectioni, quam erroneam dicunt, substituendi sint,* in *tres* abeunt diversas *opiniones*; atque *vel sex & quinque,* vel *duodecim & quinque,* vel *sedecim & quinque annos legendos* esse conjiciunt.

1. Ludovicus Capellus putat, lectio numeri recepta si retineatur, frustraneam esse omnem operam in conciliando vaticinio cum eventu, quem certissimum fuisse dubitare non liceat. Censet igitur, lectionem: ששים וחמש שנה vitio librariorum esse affectam, qui e voce שש *sex*, fecerint ששים *sexaginta*, addita terminatione ים, quæ rescindenda sit, atque sic esse legendum locum: *Et spatio sex & quinque annorum exscindetur* Ephraim. Fidem facit conjecturæ ex historia, quæ exacte, ut existimat, respondeat prophetiæ. Cum enim Prophetia hæc edita sit *in initio anni Achazi secundi, biennio fere ante obitum Pecachi*; *Hoseæ* vero

ro, *Pecachi* successoris, anno IX expugnata sit Samaria, & populus in exilium abductus, esse *sex & quinque*, h. e. *undecim annos*. Vid. Crit. Sacr. Lib. VI. Cap. VII. §. XIX. & in *Posthumis* Not. Crit. in Jes. p. 497.

Idem sentit GROTIUS, ad locum nostrum Jes. VII, 8. hæc annotans: „Omnino videtur error esse in Scriptura Hebræa, addito „ים ad שש. Nam ab hoc tempore ad deportationem decem tri„buum, quam fecit Salmanassar, 2. Reg. XVII. sunt anni *sex &* „*quinque*, i. e. *undecim*, ex quibus *duo* pertinent ad ultima tem„pora *Pecachi* Regis, *novem* autem ad tempora *Hoseæ*, itidem Re„gis decem tribuum. Vide 2. Reg. XV, 27. & XVI, 1. & XVIII, 10. „Videbis hæc esse verissima. At Hebræi, ut codicum suorum fi„dem tueantur, hos LXV annos retro trahunt ad id tempus, „quo *Amosus* contra Syros & Israelitas vaticinari cœperat.„ Sed plura sunt, quæ hanc hypothesin destruunt:

α) *Falsum est suppositum*, quod, lectio numeri recepta si retineatur, frustranea sit omnis opera in conciliando vaticinio cum eventu. Contrarium supra probavimus; quare non est, cur lectio consueta & constanti omnium Codicum & antiquarum versionum auctoritate confirmata, deseratur.

β) Usus Hebræorum in numeris, qui *undecim* non per *sex & quinque*, sed per אחת עשרה vel עשתי עשרה Ex. XXVI, 7. 8. exprimunt, eidem repugnat.

γ) falsus est calculus ipse. Non enim *undecim*, sed *unus & viginti* anni ab anno Achazi secundo ad excidium Samariæ effluxerunt. *Achazus* enim regnavit annos XVI. deme unum, quia ineunte ejus anno secundo Epocha incipit, remanent — — — 15
& ab *annis Hiskiæ*, cujus *sexto* Samaria capta est, adde 6

Summa 21.

Achazum quidem *cum patre Jothamo*, per *septennium* regnasse, recte se colligere putant CAPPELLUS & GROTIUS ex binis historiæ locis, inter se comparatis, in quorum *altero*, 2. Reg. XV, 30. *Hoseas*, Pecachi successor, regnum ingressus esse dicitur *anno vicesimo*

cesimo Jothami, qui est quartus Achazi, (*Jothamus* enim regnavit XVI annos) *altero* vero 2. Reg. XVII, 10. regnum auspicatus esse *duodecimo Achazi*; quæ loca inter se pugnare videntur, nisi *Achazo* des duplicem Epocham, alterius *regni cum patre*, alterius *liberi*.

Sed duplex regiminis Achazi initium statuendum non est, quod per ipsam Scripturæ historiam subvertitur. Nam

a) *Achazus* regnare incepit *anno Pecachi septimo decimo*, *natus annos viginti*, & *regnavit annos sedecim* 2. Reg. XVI, 1. 2. Figit itaque historicus sacer Epocham regni Achazi, non, uti CAPPELLUS existimat, in anno *Pecachi* X^mo^, sed XVII^mo^, hujusque solius Epochæ Regni Achazi meminit, & *ab ea* ducit *sedecim* regni ipsius annos.

b) Esse autem hos *sedecim* annos ab annis *Jothami* distinctos, præter simplicitatem textus historiæ, liquet etiam ex 2. Chron. XXVII, 1. 8. coll. cum Cap. XXVIII, 1. in qua historia *Jothamo* bis anni XVI tribuuntur, *Achazi* annis ab iis distinctis, uti egregie monuit VITRINGA Comment. p. 176. 177.

c) Quod vero ad difficultatem, quæ ex annis *Hoseæ* nectitur, attinet, sic statuendum est: *Hoseas* anno quidem *Jothami* 20, sive anno 4 *Achazi* in Pecachum conspiravit, sed annis 9 interjectis, anno demum Achazi 12 exeunte actu regnare cœpit. Accentus Hebraici 2. Reg. XV, 30. proprie *conspirationem Hoseæ* in Pecachum, non regnum Hoseæ, *cum anno Jothami* 20 conjungunt. Regnum Hoseæ per Assyrios retardatum esse, ex cap. cit. v. 29. colligi potest. BENGEL. Ord. Temp. edit. sec. pag. 113. 114.

§. 19.

2. GUSSETIUS, dum recte contra CAPPELLUM *undecim* annos *non sufficere* monet, ipse solidiora non profert, *Comment. Ling. Hebr.* ad vocem שש p. 1702. hæc subnectens: „Quid? si „dicamus, ut עֶשְׂרִים plurale valet duplum sui singularis, nempe עֶשְׂרָה decem, inde עֶשְׂרִים viginti: Sic שִׁשִּׁים hic poni pro duplo sui singularis, שֵׁשׁ *sex*, puta שִׁשִּׁים *duodecim*.

 „Qui-

„Quibus addendo חָמֵשׁ *quinque* fiant 17. sitque hæc sententia „pronunciata eo anno regni Achazi, quo convenit, ut 17 anni „terminentur in clade Samariæ, quæ in A. P. Jul. 3991. expu„gnata fuit. Esto ergo *Achazi quartus*, *Pecachi ultimus*, annus „Per. Jul. 3973, & anni in summa Jesaiæ intelligantur pleni, dum „historia res collocat in annis, quibus gestæ sunt, modo parum „inchoatis, modo exspirantibus.

Sed hypothesi huic, quæ voculæ שִׁשִּׁים interpretatione per *duodecim* nititur, repugnant

1) constans ejus significatus, vi cujus *sexaginta* denotat, quem numerum etiam omnes Versiones antiquæ exprimunt;
2) calculus annorum, qui a tempore vaticinii usque ad excidium Samariæ elapsi sunt; &, uti supra probavimus, *ab anno secundo Achazi* incipiunt, a quo ad captam Samariam anni XXI sunt, non XVII.
3) eventus ipse. Nam in expugnatione Samariæ *regnum* quidem *esse desiit Ephraim, non populus.*

§. 20.

3) Vitringa denique, postquam contra nostram quoque sententiam dubia supra (§. 14.) allata & a nobis (§. 15.) soluta protulerat, sibi persuadet, optime solvi, quidquid in interpretatione Epochæ nostræ difficultatis est, sequenti Hypothesi, quam *Comment.* l. c. p. 178. his verbis exprimit: „Quid igitur? Est ne hic locus habendus pro desperato, qui nullam admittat commodam interpretationem? nullam etiam, si forte affectus sit, medicinam? Dico, non esse, &, Deo sit laus, quod habeam, quo eum expediam. Modeste & clare proponam, quod æquo animo legi velim. In Apographo Scribarum Sacrorum sic exaratum fuit per compendium: ובעוד ששי וחמש שנה *Et adhuc sedecim & quinque anni, & atteretur Ephraim* pro eo, quod plene scribi debebat: ובעוד שש עשרה וחמש שנה sc. litera י per compendium scripta pro עשרה decem, cujus numeri nota est. Librarii jam, qui descripserunt;

acce-

acceperunt literam י tanquam partem vocis שש; cui proxime adhaerebat, & ex י' שש fecerunt ששים, quod olim scribebatur ששי' cum virgula supra י, ut Rabbini hodieque passim non solent exprimere ם *finale* numeri pluralis. Sic itaque ex ששי', quod valet שש עשרה, *sedecim*, factum est ששים, *sexaginta*: cum sententia Prophetae sit: *Spatio sedecim & quinque annorum* h. e. *unius & viginti*, *Ephraimum desiturum esse populum*, h. e. exscindendam esse rempublicam. Jam docet historia, a *primo* Achazi anni, (qui adhuc in cursu erat anno regni ejus *secundo*, si medio forte anni superioris mortuus fuerit Pater Jothamus,) usque ad excidium Reipublicae per Salmanassarem, quod incidit in *sextum Hiskiae*, praecise lapsos esse *sedecim & quinque*, h. e, *unum & viginti annos*, ut supra demonstravimus. Quaeris solummodo, quare Propheta hos annos *unum & viginti* expresserit per *sedecim & quinque*, quod paradoxum videtur loquendi genus? Respondeo: Neminem id non mox clarissime videre, qui attenderit. Designat perfecte annos regiminis Achazi & Hiskiae. Achaz debebat regnare annos *sedecim*, cujus primus adhuc erat in cursu, cum Propheta hoc ederet vaticinium; & *Hiskias quinque*, antequam hic eventus accideret. *Hiskias* enim *sextum decimum annum* cum patre communem habuit, ut USSERIUS & *Chronologi* & nos alibi in Tabella exhibuimus. Res omni modo certa est & clara, quam spero aequis hominibus se facile probaturam. Veritas est res simplex & se ipsa illustrat.„ Sed huic quoque sententiae repugnant sequentia:

α) Falsum est, quod consueta Vaticinii nostri lectio commodam interpretationem non admittat. Communior interpretatio non commoda modo, sed etiam vera est, quia ipso eventu comprobatur. Frustra e contrario complementum Vaticinii in expugnatione Samariae ponitur; Tunc enim *Ephraim* cessavit esse *regnum*, nondum *populus*.

β) Ingeniosior quoque, quam verior, ipsa allata hypothesis est. Eam certe claritatem & simplicitatem, quae veritatis character

ſter laudatur, ego quidem in hac hypotheſi non perſpicio! Quot quæſo! conjecturas cumulat Vir eruditus. Supponit

a) locum noſtrum non integris dictionibus, ששם וחמש sed partim *dictionibus*, partim *numerica tantum nota* י, quæ *decem* ſignificat, expreſſum fuiſſe. Vnde vero conſtat, unquam a Scriptoribus ſacris vel antiquis librariis ita ſcriptum fuiſſe?

b) licet anni *unus & viginti* exprimendi fuerint, eos expreſſos eſſe per *ſedecim* & *quinque*, *novamque* ſimul *prædictionem* ſubeſſe, ut, *ſedecim* Achazi anni, quos regnaturus ſit, & *quinque Hiskiæ anni*, antequam Epocha impleretur, innuerentur.

c) *Achazi primum* annum in curſu fuiſſe, cum Propheta *anno Ejus ſecundo* vaticinium noſtrum ederet,

d) *Hiskiam* ſextum decimum annum *cum patre Achazo* communem habuiſſe;

quis tot tantasque conjecturas admittat, & cum ſimplicitate verborum Prophetæ conciliet? Ejusmodi conjecturis ſi difficultates ſolvendæ ſunt, præſtat eas non ſolutas relinquere, quam hac ratione nodum, qui ſolvi debebat, ſecare.

γ) Hypotheſi igitur huic quoque, uti binis antecedentibus, opponimus conſtantem Codicum Hebræorum Lectionem, Verſionumque antiquarum auctoritatem.